

GERMANIA

Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni
situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nomina-
tumque; aram quin etiam Ulixi consecratam, adiecto
Laertae patris nomine, eodem loco olim repertam, monu-
5 mentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in
confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare. quae neque 4
confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex
ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

Ipsae eorum opinionibus accedo qui Germaniae populos 4
10 nullis [aliis] aliarum nationum conubiis infectos propriam et
sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur.
unde habitus quoque corporum, tamquam in tanto homi- 2
num numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae
comae, magna corpora et tantum ad impetum valida.
15 laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim 3
aestumque tolerare, frigora atque inedia caelo solove
adsueverunt.

Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen 5
aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior qua Gallias,
20 ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax,
frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed
plerumque improcera. ne armentis quidem suus honor aut 2
gloria frontis: numero gaudent, eaeque solae et gratissimae
opes sunt. argentum et aurum propitiis an irati dii negave- 3
25 rint dubito. nec tamen adfirmaverim nullam Germaniae
venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est?
possessione et usu haud perinde adficiuntur: est videre 4
apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri